

Sequitur nunc annus MCLXXIV, Ænobardi Cæsaris expeditione
 Frideri- in Italiam celebris. Hanc in rem Cæsar varios per Germaniam Prin-
 cipus I Imp. cipum conventus habuit: primùm Aquisgrani pridie Calend. Apri-
 in Italiam lis; deinde Neomagi, ubi inferioris Rheni Principes & nobiles ju-
 movet, in qua forti- famentum expeditionis Italicae dicere jussit. Inde ad Mosellam re-
 ter illi ab gressus Cochemij festum Pentecostes egit, celebratoque Wivelin-
 Italjs re- burchi Principum conventu, Ratisbonam festo Joannis Baptistæ ve-
 silitur.
Otto à S.
Blasius.
Godefrid.
Arnold. Lu-
bec.
Ursberg.
Alta Alex-
and.
Sigon.
 nit. Extrema Jmperatoris cura erat cum instructissimo quām un-
 quam exercitu Italiam perdomare: ne bellum hoc, quod tanta gloria
 ab Ottonibus, D. Henrico, Lothario, ceterisque Imperatoribus
 gestum, ipse, qui Carolum M. sibi exequandum sumpserat, affectum
 magis quām confectum relinqueret. Jam enim totius Lombardiae &
 Italiæ urbes prope conspiraverant, armatae que stabant adversus Im-
 peratorem. Mandatum contrahendi Saxonum exercitum, educen-
 dique, Henrico Leoni datum.

Igitur exeunte Junio, postquam Ratisbonæ exercitus ex omni-
 bus Imperij provincijs convenerat, processum in Longobardiam;
 transensisque Alpibus, civitates quādam in ditionem acceptæ,
 castraque Alexandriæ admota; ad quem tota ferē hyeme hæsit Jm-
 perator, donec ingenti clade suorum obsidionem solvere, & trans-
 misso Pado, Papiam confugere coactus est. Is verò cum undique in-
 clusus obesse similis teneretur, destinatis in urbem legatis, reconcili-
 ationem cum Pontifice se petere ostendit. Missi in hanc rem tres Car-
 dinales, viri sapientissimi, Ostiensis, Portuensis, & D. Petri ad vincula.
 Actum de pace, sed incassum; quod Cæsar ea exigeret, quæ nulli ha-
 ctenus concessa erant: satisque apparebat hæc simulatè agi, dum
 auxilia ex Germania accederent.

Annus Christi 1175.

Alexandri III Pont. 16.

Friderici I. Reg. 24. Imper. 21.

Evergisi Ep. Pad. 16.

Dodechin.
 Ursberg.
 Otto à S.
 Blasius.
 Sigonius.
 Arnoldus
 Lubec.
 Albert.
 Stad.
 Henricus
 Leo in
 belli cum
 Imperat.
 societa-
 tem veni-
 re detre-
 stat.

Multum per hæc, quemadmodum Ursbergensis & ceteri scribunt, obturbavit Imperatorem Henricus Leo Dux Saxoniae nostræ; postulatus enim ab Imperatore in societatem belli, non accessit, quod obtenderet ætatem laboribus fractam; aurum interim argentumque ad belli expensas largè obtulit. Alij præterea religione deterritum verius tradunt detrectasse cum Imperatore, diris à Pontifice devoto, impium bellum gerere. Quarè cum insimis precibus adduci non posset, ipse Imperator Ducem adjit, multis exponendo sanguinis propinquitatem, fidam hæc tenus operam sibi præstitam in omni bello, beneficia, quibus à se exornatus esset, plura etiam pollicendo, & nunc minis, nunc obsecrationibus versando animum Ducis; quibus cum nihil impetra-